

43-I

Aduli
fratris Capreensis

49 Gall

562830

Scalfale 43

Palchetto 1



SERENISSIMO HENRICO.

HUIUS NOMINIS OCTAVO.

Angliae, Franciaeque regi, & Hiberniae domino &c. Ioannes Lodu-
uicus Viues, S.



ITA COMPARATVM est natura humanorū ingeniorū inuictissime rex, ut illos demū uere, & ex animo admiremur, quos in ea praestare uidemus arte, quae maxime nobis inter omnes placet, ac probat. Alij alijs dediti sunt studijs ac exercitamentis. Sic fert natura rerum, ut hac uarietate speciosus & mirabilis consistat mundus: & tamen, ut inquit ille, suum cuique pulchrum. Tam olim opibus & imperio tā late patenti non armis & sanguine quaesito, sed à parentibus per manus tradito, & robore animi corporisque, & uirtute bellica, tum charus eras omnibus, tum etiam suspiciendus. Nunc uero postquam etiam quātum ingenij uiribus studiisque sapientiae ualeres documenta dedisti, maior literatis omnibus coepisti esse, ac admirabilior: non quin te antea permagni aestimarent: ~~proferri quum uocatis~~ ~~adhibere aduocatis, quos in te conuocare de nocte transiuit, et~~ ~~in prohibito coepisti, quos et uocare, et adhibere, et in~~ ~~magis quum in opibus, & in imperio, quum in~~ ~~magis.~~ Sed qui studiis suis dediti non perinde uel diuitias suspiciunt, uel potentiam, quod esses quidem bonus, id in te complectebantur, & amore prosequiebantur ingenti: quod rex esses, non ita admirandum ducebant, quum & scelesti homines saepe reges fuerint, corporis etiam dotibus insignes. Vbi uero tua sacramentorum assertio prodijt, qua nihil uel elegantius fieri potest, uel purius, uel sanctius, & uno uti uerbo dicam, Christianius, opinio probitatis animi tui confirmatio reddita est, si modo id fieri poterat: nam certissima firmissimāque in omnium animis erat multis exemplis uelut clauis infixā, & admiratio iam apud omnes suborta. Nempe & apud illos, qui amplius augustiusque nihil putant potestate regia, & eos qui diuitias supra res uniuersas constituunt: & qui corporis muneribus, formae, lacertis, agilitati plurimum tribuunt: & qui belliarum sunt studiosi, uelut omnipotentis ac rerum domini: quo fit ut certatim principes omnes amicitiam tecum quibuscumque possint rationibus uijsque, ambiant: omnes tibi siue foedere, siue, quod optatius est, sanguine iungi affectantes. Nec priuatorum tibi studia defunt, quae ipse fulgore tuarū uirtutum facis:

a a 2 alios



Hi Conat. uicari fuerunt in la. uicariam aliam à R. P. Aug. Scari. Scalfale 43
Palchetto 1

Scalfale 43
Palchetto 1



D. AVRELI AVGVSTI

NI IN LIBROS DE CIVITATE DEI, EX IPSIVS AV

toris retractationum lib. ij. argumentum.



INTEREA cum Roma Gothorum irruptione, agentium sub rege Alarico, atque impetu magna cladis eversa est: cuius eversionem deorum falorum, multorumque cultores, quos usitato nomine paganos uocamus, in Christianam religionem referre conantes, solito acerbius, & amarius, deum uerum blasphemare coeperunt. Vnde ego exardescens zelo domus dei, aduersus eorum blasphemias, uel errores, libros de Ciuitate dei scribere institui. Quod opus per aliquot annos me tenuit, eo, quod alia multa intercurrerent, quae differre non oporteret: & me prius ad soluendum occupabant. Hoc autem de ciuitate dei grande opus, tandem uiginti duobus libris est terminatum: quorum quinque primi, eos refellunt, qui res humanas ita prosperari uolunt, ut ad hoc multorum deorum cultum, quos pagani colere consueuerunt, necessarium esse arbitrentur: & quia prohibentur mala ista exoriri, atque abundare contendant. Sequentes autem quinque aduersus eos loquuntur, qui fatentur haec mala, nec defuisse unquam, nec defutura mortalibus: & ea nunc magna, nunc parua, locis, temporibus, personisque uariari: sed deorum multorum cultu, quo eis sacrificatur, propter uitam post mortem, futuram esse utilem disputant. His ergo decem libris, duae istae uanae opinionum Christianae religioni aduersariae, refelluntur. Sed ne quisquam nos aliena tantum redarguisse, non autem nostra asseruisse, reprehenderet, id agit pars altera operis huius, quae duodecim libris continetur. Quanquam, ubi opus est, & in prioribus decem, quae nostra sunt, asseramus, & in duodecim posterioribus redarguamus aduersa. Duodecim ergo librorum sequentium, primi quatuor continent exortum quarum ciuitatum: quarum est una dei, altera huius mundi. Secundi quatuor, excursum earum, siue procursum. Tertij uero, qui & postremi, debitos fines. Ita omnes uiginti & duo libri, cum sint de utraque ciuitate conscripti, titulum tamen a meliore acceperunt, ut de ciuitate dei potius uocarentur. In quorum decimo libro non debuit pro miraculo poni in Abrae sacrificio, siamam caelitus factam inter diuisas uictimas cucurrisse: quoniam hoc illi in uisione monstratum est. In decimo septimo libro, quod dictum est de Samuele, non erat de filijs Aaron: dicendum potius fuit: non erat filius sacerdotis. Filios quippe sacerdotum, defunctis sacerdotibus, succedere magis legitimi moris fuit. Nam in filijs Aaron reperitur pater Samuelis, sed sacerdos non fuit: nec ita in filijs, ut cum ipse genuerit Aaron: sed sicut omnes illius populi dicuntur filij Israel.

ARGUMENTI FINIS.



BARBES AVVD IO. PROPRIVM. VENISE. SETTECENTO.

ANNO M. D. XII.